

commission pour faire telle défense, ou pour en traiter. (Præf. 3. quam Autor præfixit Gallicæ Novi Testamenti versionis, Comitibus generalibus Cleri Gallicani an. 1646. dedicata.)

2°. Nullam obligandi vim habet lex, nisi promulgatione innotuerit: atqui regula Indicis apud nos, multisque in aliis regionibus nunquam promulgata fuit.

3°. In Gallia mos semper invaluit, ut Scriptura sacra in vulgari idiomate legeretur, sine concessa speciali licentia. Rom his verbis asserit idem Theologus: *La loi ou regle de l'index . . . n'a jamais été ni promulguée ni reçue en France: ains y a toujours été, et est rejetée par pratique et coutume contraire, et de bien longues années.* (Ibid.) Unde sic concludit: *Chacun du peuple peut lire la Bible française, d'une version catholique, en France, sans être obligé de demander aucune permission, par aucune loi ou regle ecclésiastique qui y oblige.* (Ibid.) Ita loquebatur an. 1646 egregius ille Theologus, cujus doctrinam approbasse merito censetur Cleri Gallicani conventus, dum permisit ut opus illud ipsi dedicaretur, subque ejus auspiciis in lucem prodiret.

4°. Etiam si Indicis regula primis illis quibus edita est temporibus valuisset, hodie nullius esset roboris: siquidem jam cessarunt rationes propter quas condita fuit. Hæc enim erat potissima, quod tunc variae in lucem prodirent sacrorum Bibliorum in lingua vulgari versiones ab Hæreticis adornatæ. Ii scilicet linguarum originalium scientiâ tumidi, editionem Vulgatam spernebant, purissimum se Dei verbum ex ipsis fontibus hausisse jactabant, Scripturasque sacras, non juxta traditionem et Ecclesiæ judicium, verum ex privato cujusque sensu exponendas esse prædicabant. Suas versiones erroribus infectas in populum spargebant, sicque per urbes et Provincias serpebat hæresis.

Atqui hæc ratio jam locum non habet: non

desunt enim versiones in vernaculo idiomate ecclesiasticis suffragiis munitæ. Quæ autem ab Hæreticis elaboratæ fuerunt, jam apud nos in usu non sunt. Primum suâ novitate populum decipiebant, sincerum Dei verbum, ex ipsissimis haustum fontibus promittendo: cum autem eas erroribus scaterere probatum fuerit, neminem alliciunt, imò passim ab iis Catholici abhorrent.

Nullus pariter nunc Hæreticus est, qui perniciosum non detestetur Hæreticorum dogma, quo privatus quisque Scripturarum judex constituitur. Infausta enim docuit experientia, quàm variæ discordesque sectæ inde pallullaverint; ergo, desinentibus causis, propter quas famosa Indicis regula fuit excogitata, vim nullam habet.

DISSERTATIO II.

De Traditione.

TRADITIONIS nomine, intelligitur Doctrina non scripta: non quod nullibi scripta sit: in Conciliorum enim Canonibus, et in SS. Patrum operibus reperitur; sed quia in Libris canonicis non legitur. Triplex distingui solet Traditio, scilicet *divina, apostolica, ecclesiastica*. *Divina*, est verbum Dei non scriptum; sed ab Apostolis, quatenus Verbi divini præconibus, vivâ voce ad posteros usque transmissum; talis est de numero Sacramentorum Traditio. *Apostolica*, est doctrina quam Apostoli ipsi, quatenus Ecclesiæ Pastores, instituerunt, et sine scripto Ecclesiæ commiserunt; hujusmodi est ea quæ jejunii quadragesimalis observationem spectat. Traditio *ecclesiastica*, est doctrina quæ à successoribus Apostolorum, acce-

mente Fidelium usu, invecata fuit. Talis est de celebrandis quibusdam festis Traditio.

Tria verò nobis occurrunt expendenda: primum, utrum existant divinæ aliquæ Traditiones, quæ in Libris sacris non contineantur; secundum, an certum suppedient argumentum; tertium, quibus regulis Traditio divina discernatur ab apostolica et ecclesiastica.

CAPUT PRIMUM.

Utrum existant Traditiones divinæ, certumque suppedient argumentum.

EXISTERE divinas Traditiones negant Protestantes: fatentur quidem verbum Dei esse, quidquid agendum credendumve docuit Christus; at nihil volunt à Christo dictum, vel certè imperatum, tanquam necessariò credendum, quod sacris in Litteris non contineatur. Traditiones divinas, si quæ essent, summam autoritatem habituras esse non dissentent; sed existere hujusmodi Traditiones inficiantur, nullamque, præter verbum Dei scriptum, fidei regulam agnoscunt.

PROPOSITIO I.

Admittendæ sunt in Religione Christiana Traditiones divinæ.

Prob. 1^o. Ex eo quòd non sufficiant Scripturæ: scilicet in Traditionibus rejiciendis, hoc principio nituntur Lutherani et Calvinistæ, quòd illæ sint inutiles, quia Scriptura sufficiens est fidei regula, et omnia tum dogmata, tum præcepta ad salutem necessaria complectitur, ad omnes dirimendas Religionis controversias satis est: atqui falsa

prorsus est hæc assertio: Pseudo-Reformati enim, nobiscum, tanquam de fide, credunt beatam Mariam, etiam post partum, in virginitate perstitisse; baptisandos esse parvulos; non iterandum esse Baptismum, ab Hæreticis legitimam formam utentibus collatum; atqui hæc et alia id genus dogmata, absque Traditione, et solius Scripturæ subsidio, non edocemur credenda; siquidem nulli præferri possunt Scripturæ textus, qui ea certò adstruant. Quinimò multa sunt in Scripturis, quæ primam fronte videntur iis dogmatibus adversari. Quapropter ab his omnibus non semper admissa sunt, qui Scripturæ autoritatem divinam agnoscebant. Sic, v. g. Helvidius, qui Mariam negabat post partum virginitatem constanter retinuisse, nitetur his verbis: *Joseph non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum.* (*Matth.* 1. 25.) Jubeat quidem Christus baptisari omnes gentes; cum tamen dixerit: *Ite, docete omnes gentes, baptisantes eos, etc.* promptum esset, nisi obstaret Traditio, verba Christi eo sensu accipere, quòd non alii sint Baptismate donandi, quam qui doctrinæ sunt capaces. Idem dicendum de Baptismo non iterando; siquidem nulla hæc de re legitur in Scripturis expressa lex. Quidni tam sæpè dari posset, quam Pœnitentiæ Sacramentum, nisi Traditione constaret Baptismum non repeti, et semel duntaxat accipi? ergo, velint, nolint adversarii, ad plenam fidei professionem, non sufficiunt Scripturæ; ac proinde ad Traditionem confugiendum est.

Præterea Protestantes, non secus ac Catholici, inspiratos esse agnoscunt Libros Veteris Testamenti, in Judæorum Canone receptos; quatuor esse in Novo Testamento Evangelia, nec plura, nec pauciora, ab iis prorsus diversa quæ circumferebant veteres Hæretici: atqui, si quosdam ex proto-canonice Libris in Scripturis legimus esse inspiratos, nihil simile de aliis reperitur;

nullibi videmus Evangeliorum numerum; nullibi vera Evangelia à falsis discernuntur; ergo præter Scripturas necessariò admittendæ sunt Traditiones divinæ.

Prob. 2°. Ex Apostolo sic jubente: *State, et tenete Traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* (2. Thessalon. 2. 14.) Atqui particula disjunctiva *sive*, clarè demonstrat Apostolum alia vivâ voce, alia scripto docuisse. Ita concludit Sanctus Chrysostomus: *Hinc patet, quòd non omnia per epistolam tradiderunt Apostoli; sed multa etiam sine literis; eadem verò fide digna sunt tam illa, quàm ista.* (Homil. 4. in 2. Epist. ad Thessal. n. 2.)

Prob. 3°. Ex priorum Ecclesiæ seculorum Patribus, quos pluris faciunt Pseudo-Reformati, et quorum auctoritatem venerari se testantur. Secundo seculo, sanctus Irenæus sic habet: *Quid autem, si neque Apostoli Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi Traditionis, quam tradiderunt iis quibus committebant Ecclesias?* (Lib. 3. cap. 4. n. 1.) Ibidem de Hæreticis hæc narrat: *Cùm ex Scripturis arguuntur, in accusationem convertuntur Scripturarum; quandò autem ad eam Traditionem, quæ est ab Apostolis . . . , eos provocamus, adversantur Traditioni: evenit itaque, neque Scripturis, neque Traditioni consentire eos.* (Cap. 2.) Tertuliani, qui eodem ætate vivebat, tam aperta sunt testimonia, ut eludi nullâ ratione valeant: pluribus commemoratis, quæ ad Baptismum, Eucharistiam, etc. pertinent: *Harum, inquit, et aliarum ejusmodi disciplinarum, si legem exposules Scripturarum, nullam invenies. Traditio tibi prætendatur auctrix, consuetudo confirmatrix, et fides observatrix.* (Lib. de coronâ. cap. 4.)

Tertio seculo, Origenes: *Ecclesia ab Apostolis, inquit, Traditionem accepit etiam parvulis Baptismum dare.* (In Ep. ad Rom. tom. 4. Nov. Edit. pag. 565.) Quarto seculo, sanctus Basilius tam

splendidè Traditionem adstruit, ut nullum relinquat effugium: *Dogmata quæ in Ecclesiis prædicantur, inquit, quædam habentur ex doctrina scripto prodita; quædam ex Apostolorum Traditione, quorum utraque parem vim habent ad pietatem.* (Lib. de Spiritu Sancto, cap. 27. n. 66.) Sanctus Epiphanius: *Oportet autem, et Traditione uti: non enim omnia à divina Scriptura possunt accipi. Quapropter aliqua in Scripturis, aliqua in Traditione Sancti Apostoli tradiderunt.* (Hæres. 61.) Quinto tandem seculo, sanctus Augustinus Donatistas Traditionis auctoritate sic urget et premit: *Consuetudo illa, (de Hæreticis iterùm non baptisandis) ab Apostolorum Traditione exordium sumpsisse credenda est, sicut sunt multa quæ universa tenet Ecclesia, et ob hoc ab Apostolis præcepta bene creduntur, quanquam scripta non reperiantur.* (Lib. 5. de Bapt. cap. 23.) Multa alia, tum Augustini, tum aliorum Patrum, sileo testimonia.

Ex iis autem quæ protulimus, sequitur istud argumentum: Si velint Pseudo-Reformati sibi constare, illud admittant necesse est, quod unanimi consensu docent illi Patres, quos potissimum venerari se testantur: atqui existere Traditiones divinas docent unanimes priorum seculorum Patres, quorum auctoritatem maximè se revereri profitentur Pseudo-Reformati; ergo, etc.

Meritò igitur Synodus Tridentina, adversus Pseudo-Reformatos docet, *omnem salutarem veritatem, et morum disciplinam contineri in libris scriptis, et sine scripto Traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt.* (Sess. 4. Decret. de Canonicis Scripturis.)

PROPOSITIO II.

Ex Traditione certum petitur in fidei gratiam
argumentum.

Probat. Ex illo fonte certum pro fide hauritur argumentum, qui eandem habet ac Scriptura auctoritatem: atqui Traditio eandem, etc. 2°. Quia utraque est verbum Dei, in eoque tantum una differt ab altera, quod alia sit verbum viva voce ad nos usque transmissum, alia autem verbum Dei litteris commissum. 2°. Quia eadem plane via divinam tum Traditionis, tum Scripturæ originem certam habemus, nempe ex iudicio Ecclesiæ, quæ hæc in parte errori subiacere non potest, ut postea demonstrabitur. 3°. Si par non asset Traditionis et Scripturæ auctoritas, minus nobis constarent articuli fidei, quos per Traditionem solam edocemur, quam si quos ex Scripturis accepimus: atqui tamen illud falsum est. Licet enim, v. g. valere Baptismum vel parvulis datum, vel ab Hæreticis collatum, solâ Traditione nobis innotescat, hoc tamen non minus credimus, quam ea quæ in Scripturis disertè continentur, eademque hæc fides nobis et Calvinistis communis est. 4°. Quia si minorem certitudinem gigneret Traditio, quam Scriptura, minus de sua fide certi fuissent Christiani qui ante scripta Evangelica vivere, quam qui postea: atqui illud absurdum est. 5°. Quia non minus Traditionem, quam Scripturam, à Patribus commendari liquet ex eorum testimoniis superius prolatis. Quid autem id aliud est, quam utrique similem adscribere auctoritatem? 6°. Denique, quia hæc constans perpetuaque fuit Ecclesiæ consuetudo, ut inter Hæreticos numeraret, tum eos qui Scripturam rejicerent, tum eos qui Traditionem respuerent: atqui hæc agendi ratio satis probat, illud semper Ecclesiam persuasum habuisse, parem esse Traditionis et Scripturæ auctoritatem; ergo.

Traditio certum fidei subministrat argumentum.

Solvuntur objecta.

Obj. 1°. Adversus primam propositionem. Per Traditionem aliquid additur verbo Dei: atqui vetat Scriptura ne quid addatur verbo Dei. *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo.* (Deuter. 4. 2.) ergo, etc.

Resp. Neg. maj. In ea quippè supponitur Traditionem aliquid verbo Dei adicere: atqui illud prorsus falsum est; siquidem, ut jam diximus, ipsa Traditio nihil aliud est quam verbum Dei non scriptum, et per Apostolos viva voce transmissum; ad rem igitur non pertinet objectus Scripturæ locus.

Obj. 2°. Illud non est admittendum, propter quod Deus Judæos reprehendit: atqui Christus Judæos eam ob causam reprehendit, quod Traditiones sequerentur: *Quare vos transgredimini mandatum Dei propter Traditionem vestram!* (Matth. 15. v. 3.) Ergo, etc.

Resp. Dist. min. Quod Traditiones sequerentur humanas et superstitiosas, conc. min. divinas, neg. min. Porro Christus Scribæ et Phariseos arguit, quod minutulas quasdam et superstitiosas, sibi que humanitatis traditas consuetudines religiosè servarent, et de rebus gravioribus non curarent; v. g. quod nefas esse dicerent manibus non lotis manducare, et rerum, vel etiam leviorum, decimam non offerre; dum erga alios erant immisericordes; dum parentibus inopiâ laborantibus non subveniebant. Quapropter sic eos increpat Christus: *Quare vos transgredimini mandatum Dei propter Traditionem vestram!* et infra sic concludit: *sine causa colunt me, docentes doctrinas et mandata hominum: Traditiones autem quas defendimus, non sunt doctrine et mandata hominum, sed Dei.*

Obj. 3°. hæc Tertulliani verba: *Adoro Scripturæ*

plenitudinem, quâ Deus mihi et factorem manifestat, et facta. (Contra Hermogen. cap. 22.) Ergo prorsus sufficit Scriptura, et inutilis est Traditio.

Resp. Dist. conseq. Sufficit Scriptura quoad Creationem demonstrandam, conc. conseq. quoad omnia prorsus, neg. conseq.

Porrò hoc in loco de Creatione solâ agit Tertullianus, quam defendit adversus Hermogenem, qui mundum ex materia jam existente conditum fuisse, non autem è nihilo eductum, contra apertum Genesios historiam contendebat. Quid enim hæc de re plenius ac disertius desiderari potest, quam hæc Genesis verba: *In principio creavit Deus calum et terram?* Merito igitur dixit Tertullianus: *Adoro Scripturæ plenitudinem, quâ Deus mihi et factorem manifestat, et facta; sed ex eo quòd Scriptura creationem perspicuè exprimat, numquid inde colligi potest, eam in ceteris omnibus sufficere, et inutilem prorsus esse Traditionem?*

Obj. 4°. Athanasium qui ita asserit: *Sufficiunt per se sacræ et divinitus inspiratæ Scripturæ ad veritatis indicationem.* (Orat. contra gentes, n. 1.) *Sufficiunt quæ in illis reperies documenta.* (Epist. 1. ad Serapionem, n. 19.) *Nihil opus fuit ut scriberem; sufficit enim per se Evangelica Traditio.* (Contra Apollinarem, lib. 1. n. 22.) Undè sic: Ille Traditiones habuit prorsus inutiles, qui passim docet Scripturam sufficere: atqui passim docet S. Athanasius Scripturam per se sufficere; ergo, etc.

Resp. Dist. maj. Per se sufficere in omnibus, conc. maj. in aliquibus, neg. maj. disting. pariter min.

Itaque non asserit Sanctus Doctor Scripturam sufficere, ut omnia fidei dogmata innotescant; sed eam satis esse ad ea demonstranda, de quibus in locis objectis disputabat: 1°. In oratione contra gentes hæc duo probat, nempe *idola non esse Deos; Christum esse verum Deum, verumque hominem*: atqui ad probandam utramque hanc verita-

tem sufficere Scripturas dubium non est; quis verò inde concludat Traditiones ab Athanasio rejici ut inutiles? Hic notat Bellarminus Sancti Doctoris textum ab Hæreticis adulterari interpositâ voce *omnem*. Sic enim eum objicere solent: *Sufficiunt Scripturæ ad omnem veritatis indicationem.* 2°. In Epist. ad Serapionem docet Athanasius, satis esse Scripturas ad refellendas ineptas blasphemiasque Arianorum de Filio Dei interrogationes, quod verissimum est; an autem sufficerent ad exponenda et propugnanda quævis alia fidei dogmata, illic non controvertebatur. 3°. In libro de Incarnatione, *Evangelicam*, ait, *Traditionem* sufficere ad confutandum Apollinarem, qui in Christo Deo et homine veram inesse animam rationalem negabat: *Evangelicam* autem *Traditionem* ad ceterorum omnium fidei dogmatum cognitionem, defensionemque satis esse nequaquam asserit.

Obj. 5°. S. Basilius sic docet: *Manifestissimum hoc infidelitatis argumentum fuerit, et signum superbiæ certissimum, si quis eorum quæ scripta sunt aliquid velit rejicere, aut eorum quæ non scripta sunt introducere.* (In Asceticis, de fide, n. 1.) Undè sic: Non licet, teste Basilio, quæ non scripta sunt introducere: atqui per Traditiones invehuntur dogmata quæ non scripta sunt; ergo, etc.

Resp. Dist. maj. Non licet quæ non scripta sunt introducere, si contraria sint Scripturis, conc. maj. secus neg. maj.

Porrò ille est verborum Basilij genuinus sensus, quòd nefas sit quidpiam non scriptum, simul et à Scripturis alienum introducere; ejusmodi erant quæ ab Hæreticis invehebantur dogmata: hanc esse sancti Doctoris mentem, satis patet ex verbis immediatè sequentibus, quibus monet ut fugiamus, *omnem à Dominicâ doctrina alienam et vocem et sententiam*. Traditiones autem non scriptas admittere Basilium constat; tum ex iis quæ in probatione adduximus; tum ex istis verbis: *A-*

bitur Apostolicum esse, etiam non scriptis Traditionibus inhaerere. (*Lib. de Spiritu Sancto, cap. 29.*)

Obj. 6°. Hieronymum sic affirmantem: *Hoc quia de Scripturis auctoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, quod probatur: (in cap. 23. Math. pag. 112.)* atqui Traditiones suam de Scripturis auctoritatem non habent; ergo eadem facilitate contemni possunt, quae probantur.

Resp. Dist. maj. Hoc quia de Scripturis, nec etiam ex Traditione auctoritatem habet, eadem, etc. conc. maj. Eo ipso quod ex Scripturis auctoritatem non habeat, neg. maj.

Quod enim ex solis apocryphorum somniis depromptum est, profectò nullam ex Scripturis, nullam ex Traditione auctoritatem habet: atqui hic agit Hieronymus de ineptà quâdam opinione quæ, ipso teste, solis apocryphorum somniis nitebatur: exponit enim sanctus Doctor illa Christi verba: *Ut veniat apud vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel justri, usque ad sanguinem Zachariæ, filii Barachiz, quem occidistis inter Templum et altare.* Quærit quis sit iste Zacharias, et deinde sic refert: *Alii Zachariam patrem Joannis intelligi volunt, ex quibusdam apocryphorum somniis...* Hoc quia de Scripturis non habet auctoritatem, eadem facilitate contemnitur, quod probatur. Manifestum est igitur singularem hanc opinionem ab Hieronymo respui, quia nec Scripturis, nec Traditione, at solis apocryphorum commentis et fabulis fundata erat. Ridiculum est proinde ex illo loco inferre, Traditiones à sancto Doctore rejici. Illum autem alia admittere, præter ea quæ Scripturarum auctoritate nituntur, patet ex istis verbis: *Multa quæ per Traditionem in Ecclesiis observantur, auctoritatem si scriptæ legis usurpârunt. (Dialog. contra Luciferianos, p. 294.)*

Obj. 7°. S. Stephanus, Romanus Pontifex, ut suam de Hæreticis iterum non baptisandis sen-

tentiam confirmaret, Sancto Cypriano aliter sentienti Traditionem objiciebat. Quæ de re sic interrogat Cyprianus: *Undè est ista Traditio? Ea faciendâ esse, quæ scripta sunt, Deus testatur: si ergo aut in Evangelio præcipitur, aut in Apostolorum Epistolis, aut Actibus continetur, ut à quacumque hæresi venientes non baptisentur, observetur divina hæc et sancta Traditio. (Epist. 74. ad Pompeium, pag. 138. Edit. Baluz.)*

Undè sic: Qui Stephani Traditionem eam ob causam explodit, quod in Scripturis non contineretur, certè Traditiones non scriptas rejicit: atqui S. Cyprianus Stephani Traditionem eam ob causam, etc.; ergo, etc.

Resp. Neg. min. Sanctus enim Cyprianus Stephani Traditionem ideò rejiciebat, quod eam non divinam, non apostolicam; sed humanam, sed à Scripturis alienam esse existimaret: hanc fuisse sancti Doctoris mentem, ex eadem Epistola manifestum est. Sic enim Stephani agendi rationem arguit: *Quæ ista obstinatio est, quæve præsumptio humanam Traditionem divinæ dispositioni antepone? Cypriano igitur persuasum erat, licet immeritò, Traditionem de non iterando Hæreticorum baptismate, nonnisi humanam esse, verboque divino contrariam. Non eam proinde eo ipso improbat, quod in Scripturis non contineretur: ab opinione quam sancto Doctore affingunt adversarii, quantum abfuerit, ex eo compertum est, quod aquam cum vino commiscendam esse in sacro faciendo, ex Traditione non scriptâ probaverit; Admonitos nos scias, ut in calice offerendo Dominica Traditio servetur, ut calix mixtus vino offeratur. (Epist. 63. pag. 104.)*

Obj. 8°. Experientiâ constat non posse per multa secula purum et integrum servari, quod solo percipitur audita; tum quia mutationi obnoxium est propter varias hominum opiniones et cupiditates: tum quia propter hominum negligentiam et in-

curiam facilis est oblivio. Idcirco his incommodis ut occurreretur, inventa est Scriptura; ergo Traditiones ab initio Ecclesiæ ad nostra usque tempora incorruptæ servari non potuerunt, nisi confugas ad miraculum, quod in communi Ecclesiæ regimine admitti non debet.

Resp. Neg. ant. Variis enim modis illibatæ retineri possunt in Ecclesiâ Traditiones.

1°. Pastorum diligentia: semper enim exitere Pastores qui veritatis zelo succensi, de Traditionibus populos erudirent, easque adversus hæreses identidem emergentes strenuè propugnarent.

2°. Frequenti earum usu; sic dum quotidie Christiani septem Sacramenta, ipsorumque ritus frequentant; dum preces Deo pro defunctis offerunt; dum Sanctos colunt et invocant eorumque reliquias venerantur; dum jejunia observant, festa quædam celebrant, etc. illo usu quotidiano Traditiones ad seram usque ætatem incorruptæ transmittuntur.

3°. Traditiones humanæ de majorum nobilitate et præclaris factis per plurima secula in familiis servantur. Nobiles enim viri, gloriæ cupidi, generis sui antiquitatem et originem, avorum facta, titulos filiis suis assidue inculcant, quæ isti eodem studio in filiorum animis infixuri sunt. Ex crebris verò his documentis fit, ut traditio de generis nobilitate et Majorum factis, diutissime in familiis, etiam sine scriptorum subsidio, retineatur. Quis autem dubitet quin idem diligentius præstiterint Apostoli, eorumque successores, ut servarentur Traditiones divinæ de rebus ad salutem pertinentibus?

4°. Etiam si ad retinendas Traditiones divinas in adminiculis humanis non satis esset præsidii, nonne eas ab interitu vindicare potest Dei erga Ecclesiam providentia singularis? Christus enim sponsæ suæ non deest in necessariis: non potest autem Ecclesia sine Traditionis subsidio, multa fidei

dogmata, quæ sacris in litteris non scripta sunt, ad posteros transmittere: neque tamen opus est ad miraculum peculiare confugere, sed divinam ad Providentiam, quæ Deus Ecclesiæ suæ specialiter adfuturum se his verbis promisit: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi*. Efficaciter autem providit Deus ne oblitterarentur et intererent Traditiones: licet enim in sacris Codicibus consignatæ non fuerint, in libris tamen Ecclesiasticis, in Patrum scriptis, in Conciliorum actis descriptæ servantur.

Obj. 9°. Traditiones sunt errorum occasio et præsidium, quorum in gratiam confingi solent, et tanquam divinæ obtrudi; sic, teste Eusebio (*Lib. 3. Histor. cap. ult.*) Papias suam de mille annis Regni Christi in terris fabulam commentitiâ Apostolorum Traditione firmabat! sic etiam *Quatuordecimani* suam de Paschatis celebrandi tempore errorem, ad Traditionem à Joanne Evangelista acceptam referebant; ergo, etc.

Resp. Dist. ant. Traditiones sunt erroris occasio per accidens, quatenus scilicet quidam ex iis ansam arripiunt falsas traditiones confingendi, conc. ant. sunt erroris occasio per se, neg. ant.

Si quid valeat hujusmodi argumentum, rejiciendæ etiam erunt Scripturæ; iis enim facilius abutuntur Hæretici: numquid autem eam ob causam velint Protestantes, sacram Scripturam respuere? Porro illud solum ab ipsis Apostolis traditum censi debet, quod Ecclesiæ Magistri et SS. Patres unanimi consensu, constanterque tenuerunt, scripserunt, docuerunt, ut ait Vincencius Lirinensis. Nihil autem simile reperias in fictitiis Millenariorum Traditionibus, quas Patrum major saniorque pars, illis ipsis temporibus, impugnavit, e: deinde universa proscriptis Ecclesia.

CAPUT II.

De regulis quibus divinæ Traditiones ab humanis discernuntur.

DIVINAS et Apostolicas existere Traditiones nequicquam probaverimus, nisi certa nobis præstò sint indicia, quibus ab humanis consuetudinibus discernantur.

Primò quædam sunt regulæ quibus aliquas Traditiones non nisi humanas esse agnoscitur.

REG. I. Si dogmatis alicujus ordinem Christo et Apostolis posteriorem esse constiterit, hoc divinæ vel Apostolicæ Traditionis esse non potest. Cum enim post Christi Apostolorumque ætatem natum est dogma, illud nec Christus nec Apostoli docuerunt: atqui humanum est, non divinum quidquid nec à Christo, nec à suis Apostolis derivatum fuit. Ratio est, quòd novas Ecclesia non admittat revelationes Apostolis posteriores. Illæ enim vel fuissent Apostolis cognitæ, vel incognitæ: si primum, eas docuissent; alioqui ministerio suo defuissent, quòd sanè blasphemum est: si secundum, accusandus erit Christus quòd Apostolis omnia dogmata, quæ erant Ecclesiæ necessaria non tradiderit, falsòque promiserit, fore ut Spiritus Sanctus ipsos doceret omnem veritatem.

REG. II. Quod à paucis primùm, v. g. ab unâ particulari Ecclesiâ, propositum, statim à ceteris damnatur, non est divinam, sed humanum; non traditum, sed inventum. Ubi enim aliquid ab omnibus, aut ferè omnibus improbat, ibi non adest consensus nec universalitas, quæ totidem sunt doctrinæ Apostolicæ characteres. Hinc Vincentius Lirinæ Apostolicæ characteres. Hinc Vincentius Lirinæ, cujus tanta est in Ecclesiâ autoritas, sic

monet: *Quid si in ipsa vetustate duorum aut trium hominum, vel certè civitatis unius, aut etiam Provinciæ alicujus error deprehenditur; tunc omninò curabis, ut paucorum temeritati vel inscitæ, si quæ sunt universaliter, antiquius universalis Ecclesiæ decreta præponat.* (Paulò post initium primi commonitorii.)

REG. III. Si quid à multis in Ecclesiâ teneatur, non ab omnibus, id quidem potest esse divinitus traditum; sed rem ita esse non priùs constat certitudine fidei catholicæ, quàm totius universalitatis moralis consensus accesserit. Prima pars hujus regulæ ex eo satis liquet, quòd Stephani de Hæreticis iterum non baptisandis sententiam, ad Traditionem divinam pertinere ab Ecclesiâ definitum sit, licèt aliquandiu ab omnibus approbata non fuerit; siquidem S. Cyprianus aliique Episcopi non pauci contrarium sentiebant. Secunda pars regulæ indè patet, quòd ad certitudinem fidei catholicæ, quâ fideles omnes teneantur, unanimitas moralis requiratur, et Ecclesiæ universalis consensus, ut ex postea dicendis compertum erit.

2º. Sunt pariter quædam regulæ quarum ope aliquam Traditionem divinam esse cognoscimus. Plurimæ à Theologis numerari solent quæ ad duas commodiùs revocari possunt.

REG. I. Cum universa Ecclesia quidpiam, cujus origo nulla assignari potest, quòdque in Scripturis non legitur, credendum faciendumve, tanquàm à Christo vel Apostolis acceptum, proponit, hoc divinæ vel apostolicæ Traditionis est. Quæ regula certissima est: si enim quòd universa Ecclesia divinum esse vel apostolicum declarat, re ipsa tale non esset, tunc in re maximi momenti turpiter erraret, humano pro divinis accipiendum et proponendo: atqui in errorem adeò gravem impingere tota non potest Ecclesia, ut postea demonstrabitur.

Præterea si humanum esse posset, quòd Ecclesia

divinum esse pronuntiat, necesse foret ut quòd omnes antea humanum esse existimaverant, deinceps judicassent esse divinum: atqui tanta animorum conversio impossibilis est, cum agitur de rebus gravioribus, quæ ad salutem Religionemque pertinent: esto itaque, dimoveat aliquis unius Provinciæ vel Regni homines ab ea quam semel imberant sententiâ, quod tamen non sine magnis tumultibus fieri, tristi vicinarum Provinciarum experienciâ didicimus; at certè totius ferè orbis homines in hujusmodi mutationem, nullo reclamante induci posse, nemo sanus crediderit. Illud tot exemplis confirmare facile esset, quot sunt Catholicos inter et Pseudo-Reformatos controversiarum capita.

REG. II. Si quidpiam, quamvis nondum ab universa Ecclesia propositum tanquam divinum et Apostolicum, tantâ nihilominus, tamque venerandâ antiquitate commendetur, ut nullam sui originem agnoscat, divinæ vel apostolicæ Traditioni à nonnullis Ecclesiis adjudicari merito potest, quamvis ab aliis non admittatur.

Illud enim particulares quædam Ecclesiæ potuerunt, tanquam divinum vel apostolicum, credere, quod ut avitam doctrinam, à Christo vel Apostolis receptam, ab initio diligenter se retinuisse pro certo habent, dum aliæ minus distinctè servârunt; atqui contingere potest, ut Ecclesiæ aliæ magis, aliæ minus clare Traditionem sibi primitus commissam servaverint, pro majori, vel minori Pastorum et populorum diligentia et attentione, licet nondum in eandem Traditionem recipiendam consentiant omnes Ecclesiæ: hinc divinæ Traditioni adscriptæ sunt sententiæ, tum Stephani Ecclesiæque Romanæ, de non iterando baptisate ab Hæreticis collato; tum Conciliorum Africanorum, à quibus statutum est Libros deuterocanonicos tam sacros esse et divinos, quam proto-canonicos, quamquam de utroque illo capite

in ipsius Ecclesiæ sinu dubitatum fuerit et disputatum.

Quæres quid facto opus sit, cum in nonnullis Ecclesiis alicujus dogmatis Traditio non reperitur, quæ in aliis retinetur.

Resp. huic quæstioni jam occurrisse Tertullianum: dubitanti an dogma aliquod divinitus per Apostolos traditum sit, præcipit ut consulat Ecclesias *Matrices* quas fundarunt Apostoli, et ea credat quæ ab eis teneri perspexerit: *Quid Apostoli prædicaverint, quid illis Christus revelaverit, et hic præscribam non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi iis prædicando, tam vivâ voce, quam per Epistolas postea: constat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis, matricibus et originalibus fidei conspiret, veritati deputandam; sine dubio tenentem, quod Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo suscepit.* (*Lib. de præscript. cap. 21.*) Deinde singulas appellat Ecclesias Apostolicas de doctrinâ fidei, de Traditione interrogandas, laudat Corinthum, Philippos, Thessalonicam, Ephesum, et præ ceteris Romam, de quâ hæc habet: *Videamus quid didicerit, quid docuerit, cum Africanis quoque Ecclesiis contesserat.*

